DE

VARICOCELE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA, CHIRURGIA ET
ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XVIII. MENSIS JANUARII ANNI MDCCCXLIX
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROLUS MAULHARD
SAXO.

OPPONENTIBUS:
FR. KESTING, MED. DR.
C. RINCHEVAL, MED. DRD
E. STUECKEN, MED. DRD.

GRYPHIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

Praefatio.

Saepenumero in clinico chirurgico homines varicocele affecti aderant et Ill. Baum accuratius de hoc morbo disseruit. Omnia, quae Ill. Baum explicuit, animo tenere studui; haec me induxerunt, ut libris de varicocele scriptis comparatis nunc dissertationem de varicocele scribere conarer.

De venarum dilatatione generatim.

Varices generatim intelligimus venarum dilatationem, quae sensim oritur, orta manet, quaeque pro tenera earum textura eo facilius efficitur, quo major est sanguinis venositas et quo frequentius ejus circulatio prohibetur. Haec dilatatio sive noduli sive sacculi formam praebet aut funiculis sive plexibus similis est.

Varices in omnibus fere corporis partibus inveniri possunt. Velpeau [1]) eos in brachiis et manibus vidit; neque minus in collo, in palpebra superiore, in vena jugulari aliisque capitis locis reperti sunt. In hypogastrio eximia interdum sunt magnitudine, ita ut hirudines convolutas adaequent, unde ex similitudine nomen ductum est caput medusae. Simili modo in interno corpore, in vena cava, subclavia, inveniuntur. Frequenter extremitates inferiores obsidunt, frequentissime autem partes genitales, quarum varices nunc placet longius tractare.

---

1) Vorlesungen über die klinische Chirurgie. Aus d. Franz. v. Krapp. Leipzig 1840.

Priori tempore varicocele a circocele distinguebatur. Complures scriptores varicocelen intelligunt dilatationem venarum scroti superficialium, circocelen venarum funiculi spermatici: alii utramque varicocelen dicunt, circocelen autem tumorem testiculi et epididymidis vasorum esse, alii utrumque verbum idem significare volunt. Huic sententiae nos assentimus et varicocelen et circocelen venas funiculi spermatici dilatatas et, si morbus crescat, epididymidis et testiculi ipsius esse statuimus. Venas varicosas, si dissecamus longiores latiores et magis contortas, quam normales invenimus. Numerus eorum adauctus esse videtur, quoniam hoc morbo affecta etiam vasa minima ad magnitudinem quandam proficiscuntur. Si morbus diutius perduravit parietes venarum incrassati sunt, ita ut dissectae hient et arteriarum discisarum adspectum imitentur. Interdum ut in excavationibus vasorum lapides, phlebolithos, inveniamus, accidit.

Symptomatologia.

Plerumque homines si hoc morbo afficiuntur, sensum turbatum esse contendunt et dolores quosdam ex teste ortos queruntur, quos varioceles praecones Rustius [2]) dicit. Aegrotus aut doloris levis aut molestiae sensum in scroto habet, quae res cum ei causa in veste prementi aut situ scroti malo esse

---

2) Rust. Chirurg. Band 17, Seite 230.

videatur, eum permovet, ut scrotum loco alio ponat Quum autem molestia usque recurrat, facile, ut pa tet, inquirendi causa testiculo digitos admovet e ibi funiculos crassiores quam antea comperit. Fier etiam dicitur, ut dolores horrendi appareant et i scroto et in regione coxarum tales, ut aegrotus ho ob dolores medicum petat, qui tunc facile ex vari cocele formanda eos ortos esse, cognoscit. Sensu molestiae fere semper manet, dolores si exorti sun in initio aut evanescunt aut continui sunt aut inter vallis liberis interjectis subinde redeunt.

Malum, si non longius crescit, affecti per to tam vitam facile solent perferre neque testiculo ne que alii organo malum inde contrahitur, sed s usque crescit, intumescentia funiculi spermatici tan magna evadere potest ut, si inquirimus, tumorer jam oculo visibilem digito nodosum se praebenter et pyramidis formam imitantem habeamus, cuju basis in epididymide, apex versus annulum abdo minalem situs est. Tumor, si augeri non desini ad testem ipsum magis magisque appropinquat, eju venae ipsae varicosum characterem induunt, testi sanguine repletus major fit et gravior. Tum miru interdum in gradum scrotum longius quam sanu dependet. Si morbus ad hunc gradum profectu est, testis duritie peculiari sua destituitur, emoll tur, albuginea ex testiculo solvitur et nihil nisi vas convoluta restant, quam rem Chelius[3]), alii, ses

3) Chel. Chirurg. vol. II, p. 379. fünfte Auflage.

observasse dicunt. Forsitan hoc ita explicari possit, quod venae in testiculo ipso varicosae ejus substantiam comprimant et ut sensim auferatur, efficiant. Ill. Baum noster numquam se in varicocele talem testiculi atrophiam, saepius vero lobulos testis dilatatis vasis a se invicem diductos atque separatos vidisse affirmat. Qua de causa, si illud visum est, fortasse alter testiculi morbus adfuit, qui cum varicocele non habuit connexum.

Ex varicibus totum scrotum implentibus venas scroti et tunicae partes intumescere posse et tunc depravari, elucet, si ad culmen maximum morbus processit.

Si varicocele una in parte adest, testiculus alter semper ut Curling[4]) contendit, sympathice affectus est, sed id nisi anatomica sectione instituta cognosci nequit. Hic tumor mane minor quam sub vesperam, in ipso coitu deminuitur[5]), sed paulo post eo major evadit, quod nisum relaxatio sequitur. Molestiae sensus, quae solet in scroto adesse, aegroti animum facile perturbat atque hypochondriam aut, si adest, auget aut etiam provocat. Scimus morbos genitalium partium hominem maxime affligere, ut infelicissimum, quamvis levi morbo, se habeat.

---

4) Curling, on the diseases of the testis. p. 441.

5) Curling l. c. p. 443.

Diagnosis.

Si in malum accuratius inquirimus, tumorem intra testem et annulum abdominalem reperimus nonnunquam in ipsum canalem inguinalem penetrat. In tumore numerum funiculorum, qui partim singulares, partim inter se compositi sunt, interdum plexus aut nodos formant, sentimus. Funiculus tali crassitiem pennae corvinae praebet. Omnes funiculos si comprehendimus, nobis fasciculum lumbricorum sentire videmur. Morbo maxime exculto, Richtero [6]) teste, epididŷmidis et testiculi loco tales fasciculos invenimus, parenchymate testiculi oblato.

Tumor molli conditione est ac tali, ut dolor non oriatur digitis comprimentibus; si compressionem prope testem applicamus, sensim tumor totus abire solet, sed si fit juxta annulum abdominalem, tantum abest, ut abeat tumor, ut crescat. Si aegrotus aliquantis recumbit, tumor deminuitur, si surgit vel stat, augetur. Dolores si adsunt, ex testiculo ad regionem lumbalem proficiscuntur, aut ex interno femoris latere ad genu. Testiculo suspensorio sublevato deminuuntur, itemque, si aegrotus recumbat; contra, si obstructio alvi aut tympanites abdominis accedit, augentur. Haemorrhoides quoque, qua

---

6) Richter chirurg. vol. VI. p. 166. Göttingen 1802.

nonnulli hunc morbum comitari dicunt, dolores augere debent. Pro certo est, hoc fieri, si homo longum iter facere aut diutius stare coactus est. Si, quod plerumque fieri solet, scroti sinistra pars affecta est, jam oculo cognosces, raphen tunc ad latus aegrotum vergere neque in medio esse sitam.

A. Diagnosis inter varicocelen et epiplocelen scrotalem.

Varicocele ad magnitudinem quandam profecta, canalem inguinalem obsidet eandemque mollem conditionem quam epiplocele praebet. Praeterea uterque tumor, si tussias, ambules sive stes, augetur et aegroto recumbente, deminuitur. Anamnesi accurate instituta, facile qualis sit morbus, dignosces Etenim varicocele sensim oritur, ex testiculo ut plurimum proficiscitur, et alte penetrat, eundo aut stando lento tantúm gradu crescit; epiplocele contra ex annulo abdominali evolvitur et decursum rapidiorem facit. Accedit, ut ejus causa sit externa. Epiplocele reposita et annulo abdominali a digito prementi clauso, tumor nullo modo reverti potest, quae momenta prorsus alia quam in varicocele. Sensus, qui digitis epiplocelen terentibus affertur, idem acsi amylum teras, contra in varicocele sensus vermium lumbricorum.

B. Diagnosis inter varicocelen et herniam inguinalem scrotalem.

Anamnesis hic maximi momenti est. Tunc lum-

bricoum forma et si percutis peculiaris sonus visceralis diagnosin certiorem reddunt.

C. Diagnosis hydroceles funiculi spermatici et varicoceles.

Hic error facile existere potest, si hydrocele non jam exculta est. Tunc enim serosa infiltratio in funiculi spermatici tela cellulosa oritur, qua ejus adspectus inaequalis et tuberosus fit. Sed si accuratius perscrutamur, mox convincimur, nodulos singulos, quamvis pressos non evanescere, tumoremque neque, si aegrotus stet aut ambulet aut recubat, minui, accedit, ut in hoc morbo nihil, quod similitudinem habeat venarum funiculorum, sentiamus.

A e t i o l o g i a.

Plerumque adulti hoc malo afficiuntur, praesertim qui inter quindecimum et tricesimum vitae annum versantur. Feminae, quae varicocelen in labiis majoribus praebent, rarius afficiuntur et infantes ab hoc malo tuti esse solent. In regionibus australibus morbus frequentior, quam in septentrionibus, quoniam calore scrotum magis magisque extenditur tandemque contractilitate destituitur. — Morbus in utroque latere exsistit, quum utrinque causae anatomicae, quae eum provocant, adsint, tamen in sinistra parte frequentior occurrit, quod cur fiat sta-

tim exponam. Varicocele generatim ut facile oriatur copia venarum efficit, quae hic obveniunt quaeque nomen habent plexus pampiniformis, ex quo venae funiculi spermatici originem ducunt. Scroto contracto, extensio plexus illius parva est, sed scroto extenso et relaxato et plexum non comprimente facile accidit, ut venae hae dilatentur. Accedit decursus et longitudo earum et quod parietes valde imbecilli sunt, si comparas gravi sanguinis columnae, quae fere ex secunda vertebra dorsali usque ad plexum pampiniformem vergit, atque ita ex lege hydrostatica pressum magnum sustentat, quo venae sanguis lentius fluat, accumuletur et parietes extendat.

Cur varicocele in sinistra parte frequentior obveniat, hae causae.

Sinistra vena spermatica longior et magis extensibilis, quam dextra est, quod etiam tunc probatur, si vena spermatica sinistra, quod tamen rarius accidit, in ipsam venam cavam inferiorem effunditur, aut si utraque in renalem. Etenim sinistra pars hominis generatim debilior est, quam dextra, musculus cremaster, non tantam vim habet contrahentem, qua de causa, ceteris paribus, testis sinister magis dependet, scrotum prolongatur, vena spermatica sinistra producitur; quum itaque longior sit, quam dextra pondus columnae sanguinis in sinistra parte majus esse patet. Sed vulgo vena spermatica sinistra ostium habet in venam renalem, tunc san-

guis per angulum rectum effunditur ex spermatica, cum ita sanguis venae renalis spermaticae venae sanguini occurrat, effusio hujus prohibetur et circulatio.

Vena spermatica dextra venam cavam inferiorem petit, in qua sanguis eundem cursum tenet, ita ut vena spermatica facilius sanguinem emittat.

Neque minoris momenti est vis premens, quam flexura coli sinistra exercet. Si Roser[7]) hanc causam varicoceles sinistrae non esse censet, certe errat. Nam primum facile elucet colon descendens faecibus repletum, ut premat, necesse esse atque non intelligo, cur non in dextro ovario varicositates inveniamus, quum alia causa anatomica, ut in feminis ovarium sinistrum frequentius afficiatur, non adsit.

Herzberg aliam offert causam, cur in sinistra parte varicocele frequentior obveniat.

Dicit enim orificium externum canalis inguinalis sinistri contractione musculorum abdominis coarctatum esse. Contrahuntur hi musculi laboribus, ad onera magna elevanda institutis aliisque corporis motionibus, quae propter propensiorem in latus dextrum contractionem musculorum abdominis sinistrorum saepe revertentem et longe interdum perdurantem provocant.

Causis quas diximus aliae occasionales adjungendae sunt, harum duas classes dividimus.

---

7) Roser, anatomisch. chirurg. p. 395. Tübingen 1844.

I. Adsunt occasiones, quae congestiones frequentiores genitalium efficiunt.

II. Occasiones, quibus refluxus sanguinis ex his partibus inpeditur.

Primis adnumerandae sunt excessus in venere, onania, aliae excitatae et exactae libidines, tum inflammatio venarum, telae cellulosae adjacentis, testiculi et scroti.

Secundis accedunt tumores sive indurationes in abdomine, intumefactae glandulae inguinales, herniae et inguinales et femorales, sive sunt congenitae sive acquisitae, quae omnes venam spermaticam comprimere possunt atque ita ad varicocelen formandam pertinent. Tum indurationes et hypertrophia hepatis, adipe accumulato in omento et mesenterio, degeneratis glandulis mesenterialibus et morbido funiculo spermatico circulatio prohiberi in scroto potest. Eodem modo hydrocelen vitae conditio, si homo sedens totum per diem laborare coactus est, cingulum abdominis provocare dicitur et quae vis alia vestis, comprimens venam spermaticam.

Morbum nostrum hereditarium a parentibus ad infantes transire non posse patet sed praedispositio ex venositate hereditaria aut vitium organicum transmissum certe magni momenti est.

Prognosis.

Morbus si exortus est interdum levis manet et difficultates majores non excitat. Sunt qui habeant

malum et nesciant, funiculi conditionem a normali statu discrepare. In aliis, quod in tumoribus varicosis interdum fit, exacerbatio periodica, intumescentia major adest, in aliis varicocele semper crescit, dolores augentur, ita ut aegrotus, quominus stet, aut eat, prohibeatur. Sed haec res vere rarissima est atque ill. Baum nunquam se morbum talis gradus conspexisse, commemoravit idemque morbum gravem non putat eumque non, tam facile, quam vulgo credunt, testiculum corrumpere, sed suspensorio solo opus esse, ut homo perferat eam. Funditus sanari varicocele nisi operatione non potest; sed tamen raro, ut instituatur, opus est.

T h e r a p i a.

In curatione aut palliative aut radicaliter sanare malum studemus.

Primo quidem stadio morbus suspensorio ferendo, evitatis tam laboribus gravibus, quam majoribus itineribus pedestribus, alvo semper soluta, quamvis non tolli, tamen impediri potest, ne latius propagetur; praecipue, si cum his prophylacticis conjunguntur adstringentes fomentationes ex aqua frigida, aqua saturnina, solutio aluminis, decoctum corticis quercus paratae; adhibemus tunc lotiones horum remediorum, etiam vesicantia scroto applicamus ut ejus contractilitas augeatur. Aegrotus quavis contentione, perturbatione animi, coitu et. cet.

sese abstinere debet; neque diu stet vel eat atque vitae rationem accurate sibi praescribat.

Sed in majorem modum si morbus progressus est, numquam tollitur atque nunc quaeritur, utrum operatio sit facienda nec ne et quae sit facienda.

Volumus antea breviter varias methodos describere atque postea judicium facere.

I. Primum ipsa vasa varicosa aut exstirpantur aut ligantur.

Celsus [8]) venas superficiales ferro acuto candenti urebat, si profundiores erant totum venarum complexum ligabat et amovebat. Haec operatio secundum Celsum indicata est „ubi inter imam tunicam et ipsum testiculum nervumque ramex exortus est,“ ubi igitur malum adeo increvit ut testiculus jam in varicosa vasa inmutatus sit.

II. Ligatura funiculi unius venarum tumefactarum.

Bell [9]) si unum aut plures venas subligemus, satis esse putat; cutem tunc et tunicam vaginalem communem incidimus, digitis venam maximam comprehendimus, ab aliis removemus et filo ligamus. Malo jam ad majorem gradum profecto etiam secunda vel tertia vena illigabitur, tum vulnus clauditur, ligaturae paucos post dies solvuntur.

---

8) libro VII. cap. 22.

9) Bell, System der operativen Chir.

Delpech[10]), cute, cremastere et tunica vaginali persectis, sub singulas venas a ceteris partibus sejunctas, mollem ac satis magnam boleti igniarii particulam immittit et ligatura continet, haec tali gradu contrahitur, ut venarum parietes inter sese appropinquent et quominus sanguis fluat impediant; tunc magnus venarum varicosarum tumor incedit; vulnus filamentis mollibus expletur et supra haec cataplasmata emollientia imponuntur, die tertio ligatura removetur.

Delpech, hac operatione facta testiculum ad integram functionem redisse vidit.

III. Ligatura arteriae spermaticae.

Haec methodus eo spectat, ut, impedito nimio sanguinis affluxu, testiculus modo tantam copiam accipiat, quanta ad eum nutriendum sufficiat et facili negotio a venis promoveri possit, sive ut ad minimum reducatur substantiae volumen; quod quidem interdum assequeris, pluribus vero in casibus operatio frustra instituitur, cum arteria statim in plures ramos dividatur et circa funiculum spermaticum plexum formet, ita ut sanguinis affluxus primo tantum temporis spatio deminuatur; atque eam ab causam operatio et difficillima, periculorum minime est expers et quod summum est, incertum atque dubium praebet eventum.

---

10) Mémorial des hôpitaux du midi 1830. v. Graefe und v. Walther, Journal Vol. 17. p. 329.

Maunoir [11]) infra annulum abdominalem secundum funiculi spermatici decursum incisionem, quae unius et dimidii pollicis longitudinem haberet, instituit, nudatam arteriam duobus in locis subligavit et dissecuit, vulnus celeriter consanuit, alter testiculus ad minimum substantiae volumen reductus, alter ad normalem statum rediit; alter aegrotorum, quum Maunoir bis tantum operationem fecerit, postea ex abcessu juxta funiculum spermaticum, laboravit; neuter vero liberatus est a doloribus ad regionem inquinalem usque se extendentibus, quorum causam Maunoir in nervis simul deligatis positum esse, arbitratur.

Amussat [12]), hoc modo operatus est:

Ligatura arteriae spermaticae applicata, testiculi atrophiam excitare conatus est. Aegroto apte sito cutem, perinde ut in operatione herniae inquinalis, secundum funiculi spermatici decursum per duodecim sive quindecim lineas discidit, tunc arteriam spermaticam dissecuit. Venae magnopere tumefactae atque arteriae obtegentes magnum praebuerunt impedimentum, ne illam denudaret non solum arteriam spermaticam ipsam, sed etiam ejus venas per annulum abdominalem penetrantes ligatura cinxit. Fila in inferiore vulneris angulo collocata, margines vul-

---

11) Maunoir, Nouvelle méthode de traiter le Sarcocele, sans avoir secours à l'exstirpation du testicle etc. Génève 1820.

12) La Clinique des hòpitaux Tom. III. Nr. 82.

neris attracti linamento, penicillo muniti sunt; vehemens insecuta inflammatio venaesectionibus et diaeta antiphlogistica debellata est. Diebus octo vel sedecim praeterlapsis ligaturae fila deciderunt et vulnus consanuit, sed tamen ipse Amussat operationem non collaudat.

IV. Multi fila trajiciunt aut acus filis praeditas.

Fricke[13]), sinistra manu parte comprehensa ita ut una venarum extensarum inter digitos sit, cutem et venam acu perforat, filum trajicit, quod in cute colligat. Quae operatio, quam simul in pluribus venis instituere possumus, celeriter perficitur nec dolores excitat, scrotum suspensorio sublevatur. Die sequenti rubor et tumor scroti incedit, tum filamentum extrahitur. Venae in funes duras et densos commutantur.

Kuh[14]), unam quamque venam comprehendit et acu transfigit. Acus quaeque cortice subereo firmatur et scrotum fasciis comprimentibus sive suspensorio sublevatur.

Davat[15]) et Franc, venas varicosas et vas deferens sejungunt et in utramque unam vel duas acus trajiciunt, quas filamento cerato cinctas in nodum

13) Zeitschrift für gesammte Medicin. Hamburg 1838. T. II.
14) Die Heilung der Blutaderknoten durch Acupunktur. Breslau 1838. p. 58.
15) De l' oblitération des veines; in Archives générales de médécine 1833.

complicant, quo venae comprimantur et obliterentur. Franc censet biduum vel brevius tempus sufficere ad venas plane obliterandas.

V. Excisio partis cujusdam scroti.

Wormald[16]) aegroto jacente partem inferiorem scroti per annulum mollem latumque corio abductum, diametri pollicis, duxit tunc compressit, paucos post dies omnes mollestiae aberant.

Cooper[17]) hanc methodum vituperat et omnes laudes in excissionem partis scroti confert; sutura ita instituenda est, ut labium vulneris inferius, quasi suspensorium testiculum suffulciat.

VI. Compressio continua modo Brescheti[18]).

Ut in operatione Brechetiana omnes venae capi possint, aegrotus, si aestas est, nonnullas horas ante ambulet necesse est; si vero in hiemem operatio cadit, calida lavari debet, ut venae satis sanguine impleantur. Inde scroto raso continet operator, aegroto ante se collocato, manu sinistra dextram partem demidiam scroti, ita ut digitus index atque medius in posteriore, pollex autem in anteriore plane positi sint, quorum vertices ultra septum spectent, quum ceteri duo digiti testiculum sustineant; dextrae manus digitis eadem ratione sinistrum, scroti plane continetur ut vertices sibi occurrant. Hic vas de-

---

16) London medical gazette 1838. Aprill.

17) Cooper Geujis hospital reports 1838. p. 9.

18) Memoire sur une nouvelle méthode de traiter et de guerier le circocele et le varicocele lu à l'Academie des sciences le 13. Janv. 1844.

ferens quaerit, quod et situ in parte posteriore funiculi spermatici, et qualitatibus singularibus, velut forma funiculi, simili aequali per totam longitudinem ad instar corvi pennae tensitione atque duritia elastica, denique proprio, si premitur, doloris sensu, facile discernitur. Tum vas deferens pollice atque digito indice manus sinistrae versus septum retinetur, tum iisdem digitis dextrae manus venae ab eo in externam partem extrahuntur, qua in operatione diligenter curandum est, ne vena in vase deferente remaneat. Ab adjuncto inde penis susperne erectus abdomini adpositus tenetur ut in inferiore plano cutis prolongata servetur, quo dolorosae extensiones, quae in erectionibus saepe obveniunt, prohibentur. Quo facto forcipes comprimentes singulae adponuntur, primum superior tam alte in scroto quam fieri potest, sed satis remota a penis radice, ne in ea excoriationes existant, deinde inferior, cubiculo dimidio infra priorem ita ut scrotum non attingat. Forcipes transversae eo modo apponuntur ut earum brachia totam latitudinem sinistri dimidii scroti haud procul septo contineant, solum vas deferens exclusum sit, neque solus margo externus scroti duas sive tres lineas latus, liber venis in foramine inter brachia forcipis situs ea clausa incarceretur. Forcipis brachia tam firme quam possunt, per cochleam clauduntur, tum per majorem in angustiore spatio compressionem, illa quae in superiore brachio latet, lamina promovetur, cochlea proxima ad septum et tum externa firme clauditur. Aegroto in lecto posito

forcipes longis fasciculis cera oblitis, versus abdomen continentur atque scrotum sustentatur ligamento.

Primis post operationem horis aegrotus dolorem gravem in scroto atque in regione inguinali sentit, qui tamen sensim sensimque removetur. Scroto imponitur aqua saturnina. Si secundo vel tertio die forcipes sensim solvuntur lamina firmius clauditur, quod, si in prima operatione firme factum sit, non multos dolores affert. Suppuratione inter quintum et sextum diem ingressa, forcipes removendae atque suppurantes loci remanentes simpliciter tractandi sunt. Si erectiones veniant dolorosae, pene in abdomen retento, dum forcipes applicantur, removeri possunt; parvas camphorae doses nitro admixto dari possunt. Necessarium tempus ad sanandum tres ad sex hebdomades. Suadendum est, ut nonnullos post curationem menses suspensorium bene applicatum, frigida balnea atque clysmata ex Goulardiana aqua adhibeantur.

Ex variis operationibus ad varicocelen penitus amovendam, quod omnes consentiunt, ea quam Brechet adhibet, optima est, quum et facile instituatur, cuique mali gradui conveniat et licet non sine periculo, tamen non nimis anceps sit. Exstirpatio testiculi et ligatura totius venarum plexus, ut cum ea comparentur, fieri non potest. Ligatura singularum venarum adjumentum non attulit, quod credebatur, atque Bell ipse eam rejecit. Ligatura arteriae spermaticae difficillima est et dubia. Omnes aliae operationes aut longam curationem postulant aut quod

maximi momenti est, phlebitidem facile excitare possunt. — Ita ut jam diximus, has ultimas operationes plane rejicimus, sed si quis velit operationem radicalem instituere, nos eum injuste agere credimus, si alio utitur ac Breschet.

Nos quidem, ut operatio radicalis quam rarissime tentetur, medicus sibi praescribat, necesse esse statuimus. Causas, quae ad hanc opinionem nos perduxerunt, paucis verbis afferam. Primum ego non possum consentire, quod ad indicationes operationis radicalis pertinet; dolores dicunt indicare operationem et testiculi degenerationem. Si verum esset, quod nonnulli contendunt in quavis varicocele, testiculum semper affici solere, nos facile intelligimus, quum homines propter varicocelen numquam in initio medicum petant, operationem malo jam provecto, serius fieri. Tunc dolores in conspectum veniunt; dolores dicuntur interdum horrendi esse. Nos illud pro vero habemus scriptores errare, si quamque variocelen eos provacare statuunt, nam et ipse multos novi, ex varicocele satis magna laborantes, quos tamen nunqnam de doloribus querentes audivi tum Ill. Baum hanc opinionem saepissime in clinico pronuntiavit atque, ut nonnulli aegroti querantur, hinc fieri credit, quod [homines morbo genitalium laborantes, in quem animum attentum semper solent habere, ad hypochondriasin sese convertant, ita ut si molestiae sensus in scroto iis adest et ibi tumorem a statu normali discrepantem sentiunt, timor eos in-

vadat, qui omnia augeat et ut quam maxime querantur, efficiat.

Hanc ob causam Ill. Baum operationem radicalem rarissime indicatam esse, censet, atque non esse faciendam nisi pateat hominem vere doloribus intolerabilibus premi. Aliter semper suspensoriis morbum tolerabilem fieri aut si aegroti, ut vulgo fit, operationem volunt excisionem Cooperi esse faciendam. Etiam medici Borussici militares in nostram opinionem discedunt, etenim cum antea varicocele affectus a militia liberatus esset, nunc contra si alia vitia non adsunt, stipendia mereri cogitur. Quod certe non fieret, nisi experientia docuisset, suspensorium homines ex varicositate laborantes ita sublevare, ut, etiamsi semper stare aut ire coguntnr, sanitas eorum integra sit.

VITA.

Ego Carolus Maulhard, confessioni catholicae addictus natus sum Bodenrodae, pago Saxoniae Borussiae, patre Antonio, matre Anna Maria e gente Burchard. Primis literarum elementis domi imbutus, Gymnasium Heiligenstadiense frequentavi, inde Susatum petii, cujus urbis Gymnasium hoc tempore auspiciis Patze maxime floret. Gryphiae, quo deinde me contuli, testimonium maturitatis nactus sum. Ibi biennio in litterarum studiis peracto, stipendia merere coactus sum. Quo facto almam Georgiam Augustam petii, ubi per annum litteris medicis incubui, denique Gryphiae reversus sum, ibique tam philosophicis quam medicis scholis interfui —. —.

De literis philosophicis et medicis disserentes audivi viros illustrissimos hosce.

I.

Gryphiae.

Ill. Erichson, de Logice.
Ill. Tillberg, de Physice.
Ill. Stidenroth, de introductione in philosophiam atque Psychologiam.

Ill. Hünefeld, de Chemia organica et anorganica, de oryctognosia et geognosia.

Ill. Hornschuch, de Botanice et Zoologia. Idem mihi dux fuit in Excursionibus botanicis, eundemque corpora naturalia musei zoologici demonstrantem audivi.

Ill. Schultze, de Osteologia, de Anatomia corporis humani atque comparata, nec minus Physiologia.

Cel. Laurer, de Neurologia, Anatomia organorum sensuum nec non de arte fascias rite alligandi.

Beat. Seifert, de Materia medica et de formulis rite concinnandis.

Beat. Berndt, de Pathologia generali adque semiotice.

Ill. Baum, de Chirurgia universali, de fracturis et luxationibus, de Ophthalmiatrice.

II.

Goettingae.

Ill. Langenbeck, de Anatomia atque Chirurgia nec minus Neurologia. Idem mihi dux fuit in clinico chirurgico.

Ill. Fuchs, de Pathologia atque therapia speciali. Idem dux mihi fuit in clinico medico.

Ill. Conradi, de Therapia generali atque Pathologia; Eundem ducem in clinico medico secutus sum.

Ill. v. Siebold, de arte obstetricia atque de operationibus obstetriciis.

Ill. Ruete, de Ophthalmologia, ducem Eum secutus sum in clinico ophthalmiatrico.

III.

Gryphiae.

Ill. Berndt, secutus sum in clinico medico atque obstetricio ducem, disserentemque audivi de morbis neonatorum.

Ill. Schulze, de Anatomia pathologica atque de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Baum dux mihi fuit in clinico chirurgico et ophtalmiatrico atque in excercitationibus operationum chirurgicarum.

Cel. Eichstedt, de morbis organorum pectoralium.

Cel. Glubrecht, de Medicina forensi.

His omnibus, quos nominavi, Viris Illustrissimis, Doctissimis, Celeberrimis et intimo animo gratias ago, nec non pio gratoque animo semper habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico examineque rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicina, chirurgia, arte obstetritia in me conferantur honores.

THESES.

I.

In dysenteria methodus antiphlogistica adhibenda.

II.

Perforatio foetus numquam pro sectione caesarea instituenda.

III.

In examine aegrotorum instituendo medici praestantia cernitur.

Emendandum.

Pag. 5. l. 11. lege dartos pro partes.